



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **De Vita Et Institvto S. Ignatii Societatis Iesv Fvndatoris. Libri Qvinque**

**Bartoli, Daniello**

**Lvgdvni, 1665**

XXXIX. Translationes corporis S. Ignatij, & quæ in iis contingere.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10840**

ad latus. Inter hæc Romana mulier Bernardina, vxor Andreæ Neruecij Pifani, interfuerat concioni quam de beati-vita, & meritis Benedictus Palmius habuit, duxerat secum annorum quatuordecim filiam strumis scdum in modum deformatam, & ab quatuor medicis qui frustra illam, quin-quennio amplius, curarant pro insanabili destitutam. Sensit mox dicente Palmio, magna se confidentia animari, exorandæ pro filia intercessore Ignatio sanitatis, cum antè iam deliberasset de illa in Galliam deducenda, vt regis Christianissimi solempni attactu curaretur. Sed cum in cassum tentasset omnia, vt filiam suam ad sacri cadaueris contactum applicaret, priusquam sepulchro clauderetur, spe tamen erecta patribus supplicat ne grauentur aliquas beati reliquias agrotæ filix applicare. Fecit id P. Cornelius Vischauenus, panniculum admouet quo vltus erat Ignatius, cum repente multorum in oculis vlcera obducuntur, sanatur puella, mater incredibili gaudio gestiens domum redit.

XXXIX.  
*Translatio-  
nes corporis  
S. Ignatij, &  
qua in iis  
contigere.*

Quieuit in eo sacello sacrum corpus, dum anno 1568. dandus fuit fundamentis locus, quæ ædificando domus professe templo pandebantur; tunc vero Iulij 31. aliam in partem veteris templi translatum est, à Francisco Borgia Societati Præposito. Romæ per id tempus agebat Iulius Mancinellus magnus in paucis Dei seruus, & crebris ab eo supra humanam consuetudinem, priuilegijs auctus: is translationis designata, omnino inscius, pridie quàm ea fieret audire sub noctem musicorum concentus Dei laudes canentium cœpit, suauitate vocum, & symphonix tanta, vt se inter beatos versari crederet, & perfunderetur iucunditate mirabili pietatis. Noctem totam tenuere hi cantus, nec illos postredie audire desuit, donec translatum viri sancti cadauer suo deponeretur loco: agnouit autem tunc, fuisse festis beatorum quoque lætitijs celebratum. Templo domus professe, cui nomen Iesus, Alexandri Farnesij Cardinalis regali magnificentia absoluto, easdem reliquias in illud retulit Claudius Aquaiua Præpositus 19. Nouemb. anno 1587. in conuentu Patrum, qui procuratores ex omnibus Societatis Prouincijs tunc Romæ aderant, & sub dextrum latus aræ maioris lapide condidit, breui hac Epigraphe insculpto. *Ignatio Societatis Iesu Fundatori. Quæ quidem translatio altera, miro est ornata spectaculo; nam cum in Sacratio prope quod effossa fuerant, beata ossa interquiescerent, confluerentque interea multi ex Patribus ad eorum venerationem, videre illa quidam stellulis vndique conspersa splendore viuido, & magnitudine aureos totidem assimulantibus.*

Et planè videbatur Deus Ignatij filiis animos subdere ad venerationem tanti Patris, priuatis augustiorem affectibus, qui licet arderent magnoperè, sed inhibebant se arctius, ab omni indicio, quod cultum publicum oleret; idque tum summæ modestiæ, tum quadam illorum temporum ratione: imò tantum abest, eius cultum re vlla nostri promouerent; vt nec pietati alienæ argumentum vllum venerationis ad eius sepulchrum permitterent, contigitque, vt vno, & eodem die appensas illic ab homine, voti concepti

reo,

reo, lucernas septem, amouerent. Sed Præpositi Aquauitæ duriorem hac in re modestiam, fregit propensus Bellarmini, & Baronij erga B. Ignatium animus, cum in Sacro Collegio auctoritate præcipua eminent. Anno enim supra sesquimillesimum nonagesimo nono, sibi vltro deposcit Bellarminus, vt ad sepulchrum Ignatij nouos in se ac nostris in communem parentem affectus, priuata moueret allocutione. Imminebat anniuersarius eius obitus dies; & Cardinalis Baronius rem edoctus adesse decreuerat, vt eius viri memoriam, ac merita coleret, quem patri suo S. Philippo Nerio, & olim superstitem, & defunctum; semper honoratum, semper sanctum fuisse dicerat. Fructum tulit panegyris argumento, & dicenti parem, Ignatij virtus, & merita, ex singulis probata capitibus, quibus debet perfecta sanctitas constare; atque vt erat sacrorum rituum mirè intelligens, ex probatis confecit, nihil ei deesse, vt in album sanctorum referretur. Quibus omnium mentes cum vehementer commouisset, tum Baronij præsertim, qui ad sancti sepulchrum prouolutus, post precationem bene longam, multis osculis humum pressit quæ ossa illius contegebat. Surgens inde, & ad Patres conuersus; auditor, inquit veneram, non orator, sed egit in me Bellarmini oratio, quod aquæ fluminum quæ pistrinenses molas circumagunt quantumvis per se graues, & immotas; aliisque in laudem Ignatij præclare additis, interrogauit cur eius tabulam nondum sepulchro appendissent, & benignè carpens quod timidius modesti, viderentur de illo sentire humiliter, & in illum pareius affici; afferri tabulam ad se iussit, scalisque conscensis, eam suis ipsemet manibus sepulchro affixit, vnâque hinc inde anathemata, quæ piorum liberalitas ante obtulerat. Post quæ denuò proiectus in genua preces fudit, simulque Bellarminus, idemque cum iis Patres omnes, manantibus præ gaudio lacrymis præstitere. Nacta hunc aditum populi pietas, eo in dies euasit auctior, quo non Romæ solum, sed orbe toto magnis eam diuina bonitas incendebat miraculis intercessore Ignatio patris. Quibus permotus Paulus V. Pontifex maximus anno 1605, probauit de vita, & miraculis serui Dei Ignatij legitime inquiri, & cognitionem iuridicam instrui: his ritè denique peractis, rogatu summorum totius ferme Europæ Principum; votis item supplicibus Aragoniæ, Valentia, Castellæ ac Toleti Regnorû, & Catalanensis principatus, anno Christi 1609, de more Beatum pronuntiauit Ignatium, missaque & officio coli eius memoriâ concessit. Verum ad summos sanctorum honores solemnî ritu ei decernendos, quam densa miracula, quot regum ac principum supplicationes concurrerint, ex Nicolao Zambeccario Pontificij confessus patrono quàm ex me gratius legitur. Hic in eo concessu coram Gregorio XV. orationem ad eum supplicem de adscribendo sanctis Ignatio sic clausit. [ Hæc inquam omnia effecere, vt de eiusdem honoribus, qui sanctis viris exhibentur, ab hac sancta sede impetrandis tantoperè laborauerint non modò ciuitates, ac populi qui perennibus Ignatij perfruuntur beneficiis; sed missis supplicibus litteris iam tum ad Clementem octauum Catholici Hispaniarum Reges, Philippus secundus,

cundus, ac tertius; Sigismundus Poloniae Rex, Maria imperatrix; Margari-  
ta regina Hispaniarum; alique principes, ac factorum Antistites id postu-  
lauerint: idemque à Paulo V. iidem principes, quibus Christianissimi regis  
Henrici quarti postulatam accessit, enixè repetierint. A te verò Beatissimè  
Pater ubi primum ad Apostolatus fastigium, totius Christianae Reipublicae  
gratulatione euectus es, nosti quo ardore Ludouicus tertius decimus Galliae  
Rex Christianissimus efflagitauerit, vt in sanctorum numerum referas eum,  
quem adoptatum esse à se patronum ad regnum suum ab haeresi purgandum,  
testatur, in litteris ad te tanta efficacitate conscriptis, vt affirmare non du-  
bitet fauores, ac beneficia quamuis magna, quae à liberalitate tua susceptu-  
rus est, non tanti apud se futura, quanti hoc vnum Ignatij decus merito  
existimabit. Cuius tu flagrantissimis, ac saepe iteratis precibus benignè an-  
nuens confectam iam huiusce causae relationem delectis Patribus ex hoc  
amplissimo Senatu commisit. Accessere sub idem tempus, & Maximilia-  
ni vtriusque Bauariae ducis; & Ferdinandi Imperatoris litterae, tanto studio,  
votisque idem contententium, vt alter hoc vnum pro suis in Pragensi bello  
laboribus praemium ab Apostolica sede postulet; Alter ad Germaniae praes-  
fidium, ornamentumque pertinere diceret; si inter sanctos coleretur is, cuius  
tum vita, tum ordo ad defensionem Germaniae à Deo electus sit, &c.]

Hæc coram Pontificè aduocatus. Horum ergo excellentia meritorum,  
& tantarum pondere intercessionum permotus Gregorius XV. ( Cuius pro-  
pterea æternam memoriam colet Societas ) anno 1622. 12. Martij qui S.  
Gregorio Magno celebritate anniuersaria sacer est, communi totius Eccle-  
siae adplausu, eum more solempni retulit inter sanctos, eique sanctorum ho-  
nores decreuit. Qui vero Gregorio successit Urbanus VIII. Ad inserendum  
Romano Martyrologio eius nomen, ac diem, inter alia quae proponeban-  
tur elogja, hoc legit planè argumenti dignum maiestate; & vero etiam ex  
parte composuit. *Die Iulij XXXI. Romæ Natalis S. Ignatij Confessoris, So-  
cietatis Iesu Fundatoris, sanctitate, ac miraculis illustris, & in propaganda  
orbe toto religione Catholica ardentissimi.*

LIBER